



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

17 Maji. 16 Kal. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

S. MARIA, qua anno 1634, supra
 obsessam, per plures hebdomades, ab
 hoste haretico Uberlingam, fidelem
 tuo Ferdinando II civitatem, sublimis
 in nubibus, à civibus es conspecta: &
 hostis, re infectâ, hoc die obsidionem
 solvit; civitas verò votum exsolutu-
 ra, ductâ publicâ supplicatione, ad
 tuum in Eremo Helvetiæ sacellum pro-
 fecta est. Tuere me, Domina, contra
 hostem, sive daemon ille sit, sive homo.
 Ne me expugnari sinas. fac me in-
 expugnabilem à tuis, ac meis hostibus,
 O MARIA; fac vivere, ac mori gratum
 tibi!

17 Maji. 16 Kal. Junii.

SANCTE Torpes, è Neronis aulâ,
 sanguine tuo aulæ Dei adscripte
 Martyr, qui vitream Neroniani
 cæli machinam fregisti orando; cu-
 jus, post varia tormenta, & mor-
 tem, cadaver Angelus navicularius
 in Hispaniam navi vexit. Instrue
 me aulæ cælesti, sancte aulice; ne
 mihi cælum fragile, & vitreum in
 terris quæram; sed æternum in Deo
 mihi cælum ita vivendo ædificem,
 ut animam meam, post mortem
 meam, cælo invehat sanctissimus
 Angelus custos corporis, & animæ
 meæ. Amen.

S. Resti-

S. Restituta Virgo, quæ in naviculam, pice, & stupâ refertam, ut in mari combureris, imposita, immisso igne, cum in incensores flamma converteretur, tu Dei gloriam prædicans, cum Angelo collocuta, inter orandum abiisti ad Deum, & corpus tuum ad insulam, ab Angelo, navi delatum est.

Sancti Heradi, Paule, & Aquiliane, & duo alii Martyres.

Sancti Solochane, & socii Martyres, milites.

SS. Adrio, Victor, & Basilla, MM.

S. Bruno Episc.

B. Paschalis, cujus anima visa est in curru igneo in cælum rapti.

S. Eupuria V. M. cujus die festo maris aquam dulcem factam fuisse plures experti sunt.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 320.

S. MARIA Silvaducensis, cujus hodie celebris dies est à duabus puellis, ad vitam à certâ morte revocatis. O præses vita mea! doce me ita vivere, & mori; ut resurgam in judicio felix!

18 Maji